



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Manuale Sodalitatis B. Mariae Virginis. siue Exercitium Spirituale Christianae Pietatis

Véron, François

Coloniae Agrippinae, 1505 [i. e. 1605]

7. De orationis dignitate.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46577](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46577)

PARS SEPTIMA.

De Orationis dignitate.

DE Orationis dignitate hoc tantum dicimus, nihil in hac vita ab mortali homine exerceri posse nobilius Oratione. Comedere, bibere, somnum capere, & eiusmodi humanæ vitæ obire munia, nobis est cum brutis animantibus commune: Loqui verò, disputare, conferre de rebus variis, res publicas & priuatas administrare, cæteraque id genus rationis officia gerere & exequi, nobis est cum malis, cum infidelibus, & paganis affine. Orare verò Deum, cum illo colloqui, & sermocinari, non modò nos supra bestias, & paganos, ac quoscunque mortales homines, ad ipsam Angelorū celsitudinem attollit, sed ad ipsius quoque Dei maiestatem, & præsentiam eleuat. Vt autem duplicia illa mortalis vitæ munera, Christianè, & supra bestiarum, & infidelium communem naturam usurpemus; necessum est, vt ea primùm Dei causa suscipiamus & exerceamus, hoc est, in Dei ipsius gloriam & honorem, salutemque nostram referamus; deinde eadem ipsa, pia aliqua oratione, & cogitatione adspergamus, & quasi condiamus. Tertiò denique ea & præueniat

Luc. c. 8.

& comitetur, & consequatur Deus, quē hīce in officiis spectamus. Atque ita fiet, ut id praecepti Domini seruemus, *Oportet semper orare, & nunquam deficere.*

PARS OCTAVA.

Triplex genus Orationis vocalis.

ORATIO autem est duplex: vocalis & mentalis simul, & mentalis sola. Quē enim oratio solo motu labiorū, citra mentis in Deum eleuationem fit, nō oratio, sed quādam potius Dei irrisio. Proprium orationis est, mentem humanam in Deum eleuare, illique coniungere. Deus est spiritus, qui ergo eum adorant, & cum eo agunt, mente & spiritu, non voce tantū, & labiorū motu id agere debent. Vocalis autem oratio triplex dici potest.

1. *Genus vocalis orationis.*

Prima est, quā fit ab rudibus, & ignaris eorum quā voce dicunt; ut quando Latinā linguā ignari recitant 7 Psalmos Latinē, aut D. Virginis officium, aliasque eiusmodi preces. Tales Deum orant, grataque illi est eorum oratio, quia (quod necessariō supponimus) mentem habent in Deum eleuatam, mente Deum cogitant, cum eo agere se sciunt, etsi nec verba, nec sensum ipsum orationis, & precationis quam